

## RECENS HABITAE 28


20. apparuit in hisce obseruationibus occidentalis Stella satis exigua.

Die Februarii 1. hora noctis 2. consimilis fuit constitutio. Distabat orientalis Stella a Ioue


Ori. \*  \* Occ.

*min. 6.* occidentalis vero 8. ex parte orientali Stella quaedam admodum exigua a Ioue distabat *minutis secundis 20.* rectam ad vnguem designabant lineam.

Die 2. iuxta hunc ordinem visæ sunt Stellæ. Vna tantum orientalis a Ioue distabat *min. 6.* Iu-

Ori. \*  \* \* Occ.

piter ab occidentali viciniore aberat *min. 4.* inter hanc & occidentaliorem *min. 8.* fuit intercapedo; erant in eadem recta ad vnguem, & eiusdem fere magnitudinis. Sed hora septima, quatuor aderat Stellæ inter quas Iuppiter mediam occupabat se-

Ori. \* \*  \* \* Occ.

dem. Harum Stellarum orientalis distabat a sequenti *min. 4.* hæc a Ioue *min. 1. sec. 40.* Iuppiter ab occidentali sibi viciniore aberat *min. 6.* hæc vero ab occidentaliore *min. 8.* erantque pariter omnes in eadē recta linea, secundum Zodiaci longitudinē extensa.

Die 3. hora 7. in hac serie dispositæ fuerunt Stellæ. Orientalis a Ioue distabat *min. 1. sec. 30.* Occidentalis proxima *min. 2.* ab hac vero elongaba-

Ori. \*  \* \* Occ.

tur occidentalis altera *min. 10.* erant præcise in eadem recta, & magnitudinis æqualis.